

**2000-12-05 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Zariensis’**

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

**CONSTITUTIO APOSTOLICA**

**ZARIENSIS\***

**IN NIGERIA NOVA CONDITUR DIOECESIS ZARIENSIS APPELLANDA**

Totius dominici gregis spiri tale curantes summa diligentia a bonum, studiose contendimus ut Christi Evangelium ubique terrarum nuntietur rectaque ratione explanetur. Nunc vero de Christifidelibus deque cunctis hominibus bonae voluntatis in Nigeria cogitamus atque res disponere properamus ut salutiferae ibi veritatis praedicatio facilius commodiusque eveniat. Accepta igitur sententia Congregationis pro Gentium Evangelizatione, ab archidioecesi Kadunaënsi regionem, vulgo dictam «Kaduna», decem «Local Government Areas», scilicet «Zaria, Sabon Gari, Soba, Ikara, Makarfi, Kubau, Kudun, Giwa, Bernin Gwari et Igabi », cum exceptione districtuum civilium vulgo «Rigasa» nec non «Rigachukun», abstrahimus quibus nova dioecesis constituitur *Zariensis* appellanda. Novae ecclesialis communitatis sedem in urbe vulgo dicta «Zaria» locamus templumque ibidem in honorem Christi Regis dicatum ad gradum evehimus Ecclesiae Cathedralis, cunctis consentaneis concessis iuribus et privilegiis. Dioecesim Zariensem metropolitanae sedi Kadunaënsi suffraganeam efficimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam. Cetera cuncta ad Iuris Canonici normas exsolvantur. Ad explenda quae per has Litteras statuimus Venerabilem Fratrem Osvaldum Padilla, Archiepiscopum titulo Piensem atque in Nigeria Apostolicum Nuntium, legamus. Re denique ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem quam diximus diligenter mittantur, contrariis rebus minime obsistentibus quibuslibet.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quinto mensis Decembris, anno Domini bismillesimo, Pontificatus Nostri tertio et vigesimo.*

ANGELUS card. SODANO  
Secretarius Status

IOANNES B. card. RE  
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 3, p. 130